Rogalski Joannes: Quaestio de operationibus animae humanae in statu separationis.



# QVÆSTIO DE OPERATIONIBVS ANIMAE HVMANAE in Statu Separationis.

A
M. JOANNE ROGALICZ
in Alma Academia Cracouien. publicè ad
disputandum proposita III. Calend. April.
Anno M. DC. XXI.



Permissu M. D. Rectoris.

CRACOVIAE,
In Officina Martini Philipowski. Anno 1621.

FORTIBVS AVSIS.





*Auſa* LEO MVRO *ſubſiſtens fortia ſuadet:*
*Auſos* NISCICIOS *fortia facta docet*
*Impia Caluini proſternere fortiter aude*
*Monſtra,* CAROLE, *cie fortia facta* LEO.



*Illustri & Admodum Reuerendo Domino,*

# D. CHRISTOPHORO CAROLO à RADZANOWNISCZYCKI, ARCHIDIACONO Płocen. Canon. Gnes. Supremo Regiæ Cancell. Præsidenti, &c. &c.

*Domino & Patrono suo clementissimo*

M. IOANNES ROGALICZ
Salutem, & Felicitatem.

*DISQVISITIONEM de operationibus Animæ humanæ in Statu Separationis publicè in celeberrima Academia Cracouien. propugnatam Illustris & Admodum Reuerende Domine Tibi dicatum eo: atq; intimo meo voto vtinam maius aliquod, atq; speciosius munus; Certè merebaris; & impensè ego volebam, sed quid est? aliud præ manu nunc non erat, & differre diutiùs professionem huius æris alieni pudor meus, & ingenuus animus recusabant. Tu ille es, qui in fratres meos immerentes, fontem benignitatis Tuæ vltro reserasti, quem vt in mei partem transfundi, & ad me deriuari cùm liquido constet, alienus à Musis, & Gratiis omnibus sim, nisi me*

 gratum

gratum in Te Illustris Domine præstem; & quod proximum est lucem aliquam conquiram à clarâ, & Illustri luce Tua. Inter tot videlicet obsequia fortunæ, vt nihil nisi summum eligeres, Sacra placuêre, sanctúq; altaribus purum admouisti Sacerdotem; ac proinde non æternitas magis deerit Virtuti Tuæ, quàm nunc dignitas. Cui grande augmentum vti Suprema CANCELLARIÆ REGIÆ PRÆSIDENTIA nuper attulit; ita ad maiora adhuc gradum, gratiamq; superesse nos clientes Tui (me enim seriò inter illos serios numero, qui gratis vti amari possunt, ita colere vicissim) cum beneuolentiâ contemplamur. Te modo Illustris & Admodum Reuerende Domine SIGISMVNDVS REX inuictissimus & VLADISLAVS maximi patris spes columenq; Regni diu incolumem adspiciant: neq; antea Tecum pariare fortuna desinat, quàm Infulas, & purpuram reddat sacram, sacratis Tuis virtutibus, meritisq; debitam. Quod animo candido Deum precor: qui Te Illustris & Admodum Reuerende Domine honori suo, Ecclesiæ bono, & nostris vsibus, vel tria secla seruet. Cracouiæ VI. Calen. April. Anno M.D.C.XXI.



# QVÆSTIO.

VTrum Anima humana, ab Intelligentia essentialiter differens, in Statu Separationis sibi præter naturam competenti, naturaliter actum cognoscendi exercendo, omnia quæ ordinem naturæ non excedunt, distinctè intelligere; & non solùm seipsam, sed alia quoq; à se mouere valeat, nec ne?

## CONCLVSIO I.

Anima intellectiua separata, essentialiter ab Intelligentia distinguitur.

### COROLLARIA.

1. *Animas humanas, vt naturæ specificæ perfectione æquales non esse Intelligentijs certum est: ita nec ijsdem essentiali dignitate præire.*
2. *Anima rationalis, vtpote materiæ vnibilis, & forma compositi existens, est ens incompletum.*
3. *Intellectus humanus ab intellectu Intelligentiæ specie distinguitur.*
4. *Intellectio humana est per compositionem, & discursum, & ex sensibilibus collecta: cognitio porrò Intelligẽtiæ est per simplicem intuitum, & ex influxu superni luminis.*
5. *Anima humana, si quando more Intelligentiæ rem percipit non discurrendo, id aut præter naturam euenit,*

*ratione status separati, aut super naturā, ratione gloriæ.*

## CONCLVSIO II.

Separatio animæ à corpore, tum in fieri, tum in facto esse, est ei præter naturam.

### COROLLARIA.

1. *Physicæ separationis status soli animæ humanæ conuenit.*
2. *Status animæ separatæ formaliter spectatus, est priuatio actus secundi eiusdem animæ, scilicet informationis, seu unionis cum corpore; atq; adeò omnium unionem illam consequentium.*
3. *Actio animæ extra corpus, etsi illustrior sit; non tamen est connaturalior.*
4. *Anima humana ad unionem corporis naturaliter propendet; eiusq; societatem non innato duntaxat, sed elicito quoq; appetitu desiderat.*
5. *Reunio animæ cum corpore est naturalis in ordine ad entitatem; in fieri tamen seu quoad modum supernaturalis.*

## CONCLVSIO III.

Anima humana in Statu Separationis naturaliter exercet actum cognoscendi.

### COROLLARIA.

1. *Certum est, animam cùm è corpore excedit, tum scientiarum habitus, tum species intelligibiles, quas hîc sibi comparauit, secum asportare. An verò seiuncta à corpore rerum imagines acquirat necné? Problema esto.*
2. *Anima separata tum per species quas secum defert, tum per*

*per eas, quas ei Deus confert, intelligit; per vtrasque quidem naturaliter, idest citra miraculum, sed tamen præter naturam.*

3. *Anima à corpore abiuncta in cognitiones naturales tum discurrendo, tum sine discursu prodit.*

4. *Discursus, quo anima separata vtitur, est promptissimus, subtilissimus, ac propè instantaneus.*

5. *Etsi anima aliquando actualem suipsius cognitionem suspendere possit; nunquam tamen ab omni prorsus intelligendi actu ociatur.*

## CONCLVSIO IV.

Anima sepaata, omnia intra latitudinem obiecti naturalis suæ cognitionis comprehensa, potest naturaliter, & distinctè intelligere.

## COROLLARIA.

1. *Anima in Statu Separationis non indiget ampliùs vllo corporis concursu ad intellectionem, sicut in Statu Informationis.*

2. *Anima separata cuncta sensilia distinctiùs intelligit quàm corpori vnita.*

3. *Anima in Statu Separationis nequit, quæ apud nos geruntur, naturali lumine cognoscere.*

4. *Substantia animæ separatæ, est ei ratio ac principium cognitionis sui, suarumq; potentiarum; in reliquis naturis tam communibus, quàm singularibus, tam materialibus, quàm immaterialibus cognoscendis, vtitur speciebus acquisitis, vel infusis.*

5. Pro-

5. *Probabile est, animam separatam naturali, & distincta cognitione Intelligentias nosse, earumq; naturales proprietates, & operationes, exceptis (vt vocant) cordium cogitationibus.*

## CONCLVSIO V.

Anima separata non sui solùm, sed & aliarum rerum sibi externarum, minimeq; substantialiter iunctarum pro viribus suis, motrix est.

## *COROLLARIA.*

1. *Quælibet res creata seorsim ab alia existens, mobilis loco est, siue à se, siue ab extrinseca virtute.*
2. *Animæ depositis corporibus, nulli loco sunt addictæ.*
3. *Licet facultas motrix spiritualis animæ à primo eius ortu sit congenita; eius tamen vsus nonnisi post excessum à corpore, ipsi animæ conceditur.*
4. *Animæ separatæ non secus ac Intelligẽtiæ possunt assumere corpora, eaq; ad libitum mouere, ac sine miraculo, hoc modo ad viuos regredi, & per assumpta illa corpora apparere; immò & colloquia, licet non per veras voces cùm ipsis miscere.*
5. *Motiua animæ separatæ vis, præscriptos habet suæ actiuitatis terminos, quantùm ad efficaciam & celeritatem agendi.*

Sub felicibus auspiciis Magnifici & Admodum Reuerendi Domini IACOBI TVROBOYSKI Sacræ Theol Licent Ecclesiarum Collegiatarum S Floriani, Decani, SS. Omnium Præpositi, Vniuersitatis Cracouiensis Generalis RECTORIS.



